Michaël Mexelburg

M. IX. 18.

I. N. J.

HEPATIS FABRICAM,

ACTIONEM, EIUSQUE AFFECTUS POTIORES,

In Celeberrima Porusſorum Vniverſitate, Conſenſu Ampliſsimæ Facultatis Medicæ,

Publico eruditorum examini ſubjiciunt,

PRÆSES

JOHAN LÖSELIUS, D.

RESPONDENS

JOHANNES MICHAELIS Boruſs.

In Auditorio Majori d. V. Octob.

REGIOMONTI,

Prælo Reuſneriano M. DC. XL.

In Nomine Conditoris JESU,
Ingressus.

LAutitiis olim dediti tergeminis mactabant laudibus anserum, suum, ac mulli piscis jecora. Gratiora autem palato quò existerent, anserum alimenta lacte imbuebant, fatente Galeno *lib. III. de alim. facult. C. XXI. p. 58. Class. II.* immò sues ac anseres caricis saginabant, unde hepar συκωτὸν ἢ σεσυκασμένον nuncupatum Veteribus, teste Gal. *l. c. cap. XII. p.* 53. In hoc nutricatu seu porculatione, sues admodùm obesæ reddebantur, hinc tradit Varro *lib. II. de re rustic. c. IV. p. 73.* in Arcadiâ suem fuisse spectatam, quæ ita intumuit, ut præ pinguitudine carnis non modò surgere haut potuerit, sed etiam in ejus corpore sorex, exesâ carne, nidum fecerit, ac pepererit mures. Nos in præsentia, misso brutorum jecore, ejusdemq; esu, humanum duntaxat considerabimus, & quidem duobus segmentis.

SEGMENTUM PRIMUM
Hepatis fabricam exhibens.

THEOREMA.

Hepar est pars dissimilaris ac princeps inferi ventris, sub dissepto latitans, sanguinem amplexu calfactuq; suo ela-

borans, ac universam rempubl. membrorum succis vitalibus irrigans.

§. I. Hepar, aliàs jecur & jecusculum, vocamen suum sortitur ab ἐπάρδω, quod irrigare est, quia totum nostri corporis tabernaculum ab ipso hubertim irrigatur. Quippe cum publico fungatur munere viscus illud, nequaquam admittit, ut ullum dispendium intertrimentumq; crediti sibi à ventriculo chyli fiat, quò minùs eum & creditori ventriculo, & membris relliquis defecatiorem cum fænore redhibeat. Duci etiam potest ab ἔπειν ἔαρ, operari sanguinem, cum sit officina sanguinis. Ab hepate derivatur hepatarius. Sic Plaut. *in Curcul.* 2. 1. *v.* 24. *Te igitur morbus agitat hepatarius.* Spigelius & Bauhinus ἧπαρ deducunt ἀπὸ τῆς ἡπανίας τῶν ἄλλων τῦ σώματος μορίων, ab inopiâ, quod partium egestati succurrat, verùm apud Græcos ἡπανία vox spuria est, nec unquam legitur.

§. II. Concurrunt ad fabricam jecoris constituendam caro, membranula, nervuli, venæ & arteriæ. Caro seu maxima hepatis pars sanguinis concrementum est, & Erasistrato παρέγχυμα nuncupatur, quasi περίχυμα circumfusum. Affunditur namq; vasis ad locorum inanitatem inferciendam, & ut sit torale & substerniculum vasorum, ac tandem fotu & accubitu suo venarum actionem juvet, atq; αἱμάτωσιν procuret.

§. III. Membranula, quâ investitur hepar, textile est admodùm subtile, ac natalitia sua debet venarum mēbranæ alteri, à peritonæo ortæ. Spigelius ab hepatis ligamentis orsum membranæ deducit. Hanc tunicam Syphilis vel morbus Gallicus aliquando penitùs erodit, teste Alex. Benedict. *lib. XIII. c. XXIII. p.* 243.

§. IV. Sextum nervorum conjugium nervulos duos hepati desacrat, quorum alter à stomachico, qui cinctu suo lævum ventriculi orificium ambit, alter à costali exoritur ramo. Pullulos illos per tunicam hepatis, quæ cavum succingit, sparsos esse asseritur vulgò, verùm notavit Riolanus, nervulos duos insignes venam Portam comitari, & subire substantiam ipsam hepatis. Et Vesal. *lib. V. de hum. corp. fabr. c. VII. p. 343.* tradit, ramulum costalem in jecoris tunicam raris modicisq; surculis dispergi, priore in jecoris quoq; substantiam pertinente.

§. V. Venarum in hepate numerus innumerus est. Censentur autem surculi venæ Portæ triplo esse plures, quàm Cavæ, quæ Hipp. ἡπατῖτις nominatur, *II. epid. sect. IV. p. 1034.* Portæ largiùs per imam visceris partem, parciùs per gibbam sparguntur: contra cavæ radices plures per convexam, pauciores per simam. Accuratè a. notandæ sunt inoculationes seu ἀναστομώσεις, queîs columbatim quasi junguntur, & se invicem exosculantur rami portæ & cavæ. Cui lubentia est discriminatas contemplari portæ ac cavæ radices, carnem circumfusam in aceto acerrimo, & calcis pauxillo elixatam & friabilem redditam, curioso digitorum attritu separet.

§. VI. Lacteæ quoq; venæ plusculos in hepatis carnem quaquaversum suos disseminant pullulos. Explantantur autem tubuli illi lactei ab intestinis, ac per mesenterium iter legentes in pancreate colliguntur, ubi capreolorum, aut calamistratorum cincinnorum more implexi, mæandros & anfractus inexplicabiles constituunt. Paulò post à pancreate majusculis ramis ad hepar contendentes, tuguriolum ejus subeunt,

ac tandem tenuitatibus admodùm exilibus in hepatis ſubſtantiam diſperſi obliteſcunt. Vectores ſunt chyli, quem oſcillorum ſuctu ex inteſtinis prolectum poſtea in ipſam hepatis carnem exſpuunt, ut ſuccus inde divinior elaboretur.

§. VII. Arteriis admodum paucis donatum eſt extorum caput, quæ à dextro Cæliacæ ramo oriundæ ſimam ipſius partem perreptant. Inter portarum ac cavæ radiculas numeroſâ ſobole feruntur alii ſurculi tenues, qui coeuntes meatũ χοληδόχον efformãt, purgamentum peſſimi ſanguinis ex hepate propè portarum explantationem ſorbentem.

Q. hîc, *An venarum actio ſit αἱματοποίησις?* Dividua eſt inter Medicos hac ſuper re. Galen. *lib. VI. de Hipp. & Plat. decret. c. VIII. p. 532. Claſs. I.* carni hepatis ſanguificationem tribuit, ac illos damnat, qui venarum tunicis αἱμάτωσιν aſsignãt. Alibi verô *lib. IV. de uſ. part. c. XVII.* φλεψὶν ὑπάρχει δύναμίς τις αἵματος ποιητική. Nos lacteis leviculam præparationem, hepatis parenchymati coctionem, relliquis venis πλειογονίαν deberi ſtatuimus.

Q. (2) *An venarum principium ſit hepar?* Galeni aſſeclæ hepar eſſe venarum principium adſtruunt. Aſt quando inaudiunt, nullam partem alterius eſſe ſobolem, ſed omnes ſimul formari, extemplò reponunt, jecur non eſſe principium γενέσεως, ſed διοικήσεως. Verùm reſponſum hoc exulat à mente Galeni. Nam Galenus expreſsè *lib. VI. de Hipp. & Plat. decret. c. VIII. p. 532.* ſcribit: *ſi primæ generationis venarum principium quæris, jecur eſt.* Et *lib. IV. de uſu part. c. II. p. 270. Claſſ. I.* tradit, *venas primum germen ex hepate ducere.* Immò neq; διοικήσεως principium eſt hepar, cum diſpenſatio non venas, ſed alibilem reſpiciat maſſam. Hoc Galen. *lib. VI. de Hipp.*

&

& Plat. decret. c. VIII. ſequentibus innuit: *ſi principium diſpenſationis materiæ, quâ totum corpus nutritur, ſpectes, non inveneris commodius viſcus jecinore.* Reſtat itaq;, ut ſit ῥιζώσεως fons, non quidem lactearum, ſed relliquarum ſanguinem vehentium.

§. IIX. Principem eſſe partem viſcus noſtrum, ſuperiùs proditum eſt. Hoſtes πολυκοιρανίης è principali familiâ illud exſcindere ſatagunt, quia exenterantur quandoq; cadavera, hepate carentia. Sic Antvverpiæ Matthias Ortelius hydrope extinctus, & apertus jecore ac liene deſtituebatur, Reſpondemus, naturam contra ſemper analogo hoſtire, ac reſarcire defectum: ita Ortelius carnulenta habuit inteſtina, quæ hepatis defungebantur munere, ac fulcimenta erant venæ cavæ. Vide *append. Bauhin. in tract. de partu. Cæſar. Rousſeti. p.* 384. Hoc modo exaudiendus eſt Ariſt. quando ſcribit: Jecore carens toto nullum notatum eſt animal, *lib. IV. de gener. animal. c. IV. p.* 1315.

§. IX. Septo transverſo jecur ita ſubeſt, ne ipſi tanquam flabello præcordia ventilanti obſit. Occupat autem conſveto naturæ ordine dextrum latus, & à diſsepto digitum transverſum abjungitur. ὑπὲρ τὸ διάζωμα ἐν τοῖς δεξιοῖς κεῖται τὸ ἧπαρ, docet Ariſt. *lib. I. de hiſtor. animal. c. XVII. p.* 845. *Supra diaphragma ſitum eſt hepar.* Circa hunc locum Bartholinus *lib. I. inſtitut. Anat. c. XIV. p.* 67. autumat, voculam ὑπὲρ non ſignificare ſuper vel ſupra, ſed trans vel ultra, cum Accuſativo jungatur. Aſt ſciat Bartholin. ὑπὲρ Accuſativo maritatum apud probatos Auctores etiam ſignificare ſuper vel ſupra. Jta Homer. *Odyſs. l. p.* 260.

παννύχιοις ἀνέμοισιν ὑπὲρ μέγα λαῖτμα θαλάσσης
οἴκαδε ἱέμενοι,

Deinde

Deinde distinctione voculæ ὑπὲρ nil respondet Barthol. ad textum Arist. nam hepar non situm est trans vel ultra septum, si ab infero ventre extorum instituatur scrutinium. Hepar itaq; ultra vel supra diaphragma situm est, à capite si quis exordium ducat Anatomes, quemadmodum Philosophus fecit.

§. X. Connexus jecoris, quo partibus conterminis adstringitur, varius est. Umbilico affirmatur interventu tubuli umbilicalis, qui intra Herophili διασφαγὴν, seu jecoris rimam, sese penitiùs abdit. Vena hæc embryoni nutricula est, adultiori ligamentum. Dissepto seu phrenibus hepar subligatur firmis duobus vinculis, quorum dextrum latum ac membraneum est, sinistrum teres. Jllud suspendiculum hepatis nuncupatur, oriundum à peritonæo. Adulteris quoq; costis villi quidam membranei hepar alligant, quos Galenus διαφύσεις nominat, *lib. IV. de us. part. c. XVI. p. 280. Class. I.* Omento jungitur lobo quodam exili, qui mollitudine spongiis assimili intra omenti crumenam absconditus, eam aliquando vitiosè perpluit, & inebriat, unde hydrops, quo de Hipp. VII. *aph.* LV. ὁκόσοισιν ἂν τὸ ἧπαρ ὕδατος πλησθὲν εἰς τὸ ἐπίπλουν ῥαγῇ, τουτέοισιν ἡ κοιλίη ὕδατος ἐμπιπλᾶται, καὶ ἀποθνήσκουσιν. In Lupo ex lobis hepatis (quorum octo notavi semel) unus membranâ palmam ferè latâ reni dextro firmiter annectebatur.

§. XI. Figuram lunatis cornibus obliquatam sibi vendicat hepar, quæ foris convexa & gibba est, subtus concava, & extuberationibus quibusdam asperata. Gibbam hepatis faciem natura delævavit, semel tamen in Coleto Anglo repertum est hepar cirris prominentibus hirsutum, quemadmodum tradit Erasm. *in epist. lib. XV. epist. XIV p. 509.* Convexam partem (saburrâ

burrâ tamen priùs eductâ) diureticis, simam catharticis expediunt Medici.

§. XII. Extuberantiæ illæ circa egressum Portæ olim πύλαι dicebantur, teste Galen. *lib. de dissect. ven. & arter. c. l. p. 109.* & *lib. IV. de us. part. c. II. p. 270. Class. l.* Hesychius memorat á sacrificulis. πύλας esse vocatas τὰς ἐκτροπὰς τοῦ ἥπατος καὶ τὰς φλέβας. Πυλαία verò τὴν μέσην τοῦ ἥπατος εὐρυχωρίαν, seu mediam jecoris amplitudinem, olim denotabat victimariis.

Q. hîc, *An jecur humanum sit penulatam, vel in appendices diremptum?* ἥπατος πέντε λοβοὶ, inquit Hipp. *lib. de natur. oss. p. 274.* Et Galen. *lib. IV. de us. part. c. VIII. p. 273.* hepar quibusdam λοβοῖς tanquam digitis ventriculum ad unguem complecti scribit. Jmmò antiquitas etiam luxuriare voluit circa fibras, certa quædam nomina ipsis affingens, quæ facultatibus hepatis rectiori titulo conferuntur. Quippe primam hepatis penulam nuncuparunt ἑστίαν, alteram τράπεζαν, tertiam μάχαιραν, quartam ἡνίοχον, de quibus appellationibus consulatur Vesalius *lib. V. de hum. corp. fab. c. VII. p. 339.* Verùm si ὑπερκορυφώσεις in rigore acceptentur pro frustulis, audaciùs prominentibus, ac penulis discriminatis, quales notantur in pulmonibus, tum pronunciandum erit, naturaliter ἄλοβον esse humanum hepar: sin verò proletariè & abusivè sumantur pro exstantiis, & promontoriolis exiguis, tum concedi poterit, viscus nostrum suis quodammodo instructum esse pinnis. Dixi *naturaliter*: nam παρὰ φύσιν fieri potest, ut jecur in frustula sit discissum. Ita Gemm. *lib. I. Cosmocr. c. VI. p. 105.* scribit, hepar ut in suibus & canibus, in plures fibras usq; ad radicem fuisse divisum. Aliàs in brutorum evisceratio-

nibus, bove excepto, veri notantur lobi, de quibus antistites nostri exaudiendi.

§. XIII. Magnitudo jecoris pro modulo & proportione nostri corporis notatu digna est. Homo namq; hepatis ac cerebri mole superat reliqua animalia. In timidis, gurgitibus, ac iis, qui digitorum σκυταλίδας longiusculas habent, creditur esse grandius hepar. Sic gulosa illa mulier, quæ ne momentum quidem absq; potus & cibi ingestu vivere potuit, hepar mole ineffabili ac impensiùs rubens habuit, teste Gemm. *l. c. p.* 104.

§. XIV. Temperies jecoris modestè calida est & humida. Ubi verò justò plus incaluit hepar, properiter nimis ad se rapere consuescit edulia, à ventriculo nondum satis decocta, unde μόλυνσις & imperfecta coctio, soboles ventriculi debilis & frigidi.

Q. hîc, *An particula jecoris, quæ felli subdita est, sit dulcissima?* Hoc vult Arist. *lib. IV. de part. animal. c. II. p.* 1173. τὸ ὑπὸ τὴν χολὴν τοῦ ἥπατος γλυκύτατόν ἐστι. Arbitror hoc inde esse, quia capsula fellis à parte vicinà fortiùs haurit purgamentum sanguinis, quo subtracto dulcior redditur particula subjecta.

Q. (2) *Cur hepar, viscus calidum & humidum, ægriùs intabescat seorsim servatum?* Plin. *lib. XI. c. XXXVII. p.* 317. memoriæ prodit, obsidionum exemplis ductus, jecur maximè vetustatis patiens centenis durare annis. Et Riolanus *lib. II. anthropogr. c. XXI. p.* 203. testatur, Parisiis sub scamnis fuisse asservatum ab anno elixatum hepar humanum, quod nec rancorem contraxerat, nec odorem genuinum exuerat. Causam attribuo principio balsamico ac salino, quo incorruptum servatur plusculos annos.

§. XV.

§. XV. Actio jecoris maximè honorata est *αἱματοποίησις* seu chymificatio, quam ingenitâ & domesticâ facultate exercet hepar. Chylum autem lactes ex intestinis numerosâ sobole sorbent & exhauriunt, eundemq; sine cunctatione ad pancreas flexuoso tramite deducunt, ubi in contortâ lactium perplexitate, velut rudimentum futuri sanguinis, nonnihil demutatur chylus, & paulò post in carnulentam hepatis substantiam (multiplici namq; serie ibidem loci in tenues exilitates exhauriuntur lactes) exspuitur, ac in verum sanguinem mutatur. Confectam alimoniam vectores tubuli postea quoquoversum didunt, ac famelicas eadem instaurant partes.

§. XVI. Insuper focus & illicium amoris ac libidinum hepar est. Horat. *lib. I. od. XXV.*

Cum tibi flagrans amor, & libido,
Quæ solet matres furiare equorum,
Sæviet circa jecur ulcerosum.

Et *lib. IV. od. I.* Veneris jugum excutiens ita fatur:

——— ——— ——— ——— *abi,*
Quò blandæ juvenum te revocant preces,
Si torrere jecur quæris idoneum.

Proverb. *VII. v.* 23. Amens juvenis improbum sequitur scortum, donec dissecet culter jecur ipsius. Lutherus vertit, Biß sie jhn mit dem Pfeil die Leber spaltet. Amoris itaq; ac lasciviæ scatebra æstimatur hepar, quia conficit succum, cujus aliquota portio abit in semen, unde voluptabilis titillatio, & Venereæ cupidinis irritamentum. Hepar quoq; velut fons quidam vitæ est juxta divum Codicem. Thren. *II. v.* 11. effunditur in terram jecur meum, id est exanimalis & quasi mortuus sum, Flac. *part. I, Clav. script. col.* 408.

§. XVII. Deniq; hepar olim etiam suum habebat usum in extispicinâ, quam Græci ἡπατοσκοπίαν nuncupabant. Antiquitas namq; ex inspectione jecoris salubritatem locorum argutè venata est. Quippe oppida constituere, aut statita habere ubi induxére animum, prisci, immolatis pecoribus, quæ in iis pascebantur, ex jecoris habitu aëris modum conjectabant: Etenim si livescens vitiosumq; in pluribus repertum, insalubritatis erat argumentum, pabuli & aquarum ratione, Cæl. Rhodig. *lib. II antiq. lect. c. XLVII p.* 87. Jmmò ex attentâ hepatis inspectione multa etiam alia superstitiosè eruebant extispices. Gemina autem capita prius in hepate constituebãtur, quorum alterum hosti, alterum sacrabatur illi, in cujus gratiam victima erat cæsa. Ex his capitibus marcidum, luridum, & quocunq; modo turpatum caput, ruinam & adversa omnia minabatur: inflatum verò, turgidulum, ac optumè coloratum victoriam, & successus optabiles promittebat. Jta Lucanus, extra Cæsarem victorem renunciasse contra Pompejum, memoriæ prodidit. Eidem Cæsari interitum portẽdebat, ex opinatu haruspicis, deficiẽs hepar victimæ, quam paulò ante mortem ipsus mactari jusserat. Huberiùs extispicinã hanc cui inspicere lubentia est, adeat Peucer. *de divinat. p.* 361. Jam ad affectus hepatis potiores.

SEGMENTUM ALTERUM

Hepatis affectus proponens.

Theorema.

Hepar dyscrasiæ, oppilationes, inflammationes, ἐμφυσήματα, scirrhi, ulcera, & consimilia mala pessimè exercent.

§. I. Formidoloſus λευκηπάτιας olim dicebatur Zenodoto, ob pallorem, ex jecoris frigidulâ intemperie ortum. Frigedinem autem hepatis præter pallorem arguunt venæ exiles, ſumen depile, ſitis propemodum nulla, micationes arteriarum ſegniores, pituitæ huber proventus, ſaccati humoris (ita Lucretius lotium appellitat, cum per totum corpus q. per ſaccum percoletur) albitudo ac tenuitas, &c.

§ II. Calidum hepar produnt extumidæ amplioresq; venæ, ac hypochondria hirta, alvus indurata, querquerus totum, cumprimis manuum volas pedumq; plantas occupans æſtus. Oblectamina quoq; & ἡδύσματα ex potu & cibo avidiùs quærunt calidi hepate, & hirquitallientes relliquis magis laſciviunt. ψεύσμασι etiam & jonthis quibus variatur naſus (die Finnigen rothnaſen) plerumq; fucum facere, aliisq; imponere verba aſsolent. Siccius hepar habitus corporis ſtrigoſus & gracilis; humidius mollior & obeſior indicant.

§. I I. Infarctus hepatis malum frequentiſsimum eſt. Impinguntur autem fartilia non modò vaſorum tubulis, verùm etiam penitiùs ſæpe humor in perviam jecoris affuſionem, ejusq; receſsus ſe inſinuat, qui nî extemplò educatur, vel diſcuſsu auferatur, præſens ſcirrhi vel etiam calculi exiſtit materies. Innoteſcit malum, ſi leviculum pondus, dolore obtuſo ſtipatum, in dextro hypochondrio ſentiat æger, vel etiam anhelus fiat in acclivi graduum aſcenſu. Gibbum hepatis oppilatum ſeptum transverſum farctu ſuo tendit, ac reſpiratui incommodat; concavum verò ſaburratum καθ' ὁμιλίαν ἢ κοινωνίαν ventriculum turbat, appeti-

titum prosternit, & alvi proluviem multâ humiditate diluit.

§. IV. Oppilatio illa plurium ægritudinum mater est, icteri, hydropis, & consimilium. Jcterus bilis circumluvio est, quâ inquinamentum istud per pullulos venæ cavæ in universum diditur corpus, cutemq; flavedine maculat. Luteus iste color in hirquo majori corneam oculi initiò collutulat, & postea ulteriùs progreditur. Feces, quas conquiniscens cum nisu exturbat, albicant, lotium verò crassescit, & ex flavo & rubro in pullum tendit colorem.

§. V. Ab hoc ictero discriminatur ille, qui febrium acutarum vel spuria, vel legitima proles est. Legitima criticè generatur, ubi præsente pepasmo, bilis in ambitum corporis profertur, & quidem die critico, absq; ullâ hypochondrii duritie. In hac fellis suffusione excrementa alvina cum humore saccato naturali prorsus colore gaudent. Notha soboles symptomaticè excluditur, & quidem absq; signis concoctionis. Circa symptomaticum icterum accuratè notetur locus iste, quem habet Hipp. *lib. de vict. rat. in morb. acut. p.* 402. ἐν πυρετῷ χολώδει πρὸ τῆς ἑβδόμης μετὰ ῥίγεος ἴκτερος ἐπιγενόμενος, λύει τὸν πυρετόν. ἄνευ δὲ ῥίγεος ἢν ἐπιγένηται, ἔξω τῶν καιρῶν, ἀλέθειον. Insuper in omni ictero verus est *aph. XLII. sect. VI.* ἐν τοῖσιν ἰκτερικοῖσι τὸ ἧπαρ σκληρὸν γενέσθαι πονηρόν. Tandem etiam fervidum hepar, vipera, lepus marinus, & consimilia, malum ictericum generant. Mirabile est, quod scribit Scaliger *exerc. CXCI. n.* 3. *p.* 626. Pluit à nubibus in Norvvegiâ bestiola quadrupes, magnitudine soricis, pilo vario. *Lemner* nomen habet. Depascitur omnia virentia. Consumpto pabulo moriens aërem inficit, unde vertigine & regio morbo corripiuntur incolæ.

§. VI.

§. VI. Hydrops tripartitò dividitur in ἀσκίτην, τυμπανίτην, & σαρκίτην, Ascites prominulus ventris tumor est, ab undâ serosâ, capacitatem abdominis perpluente ac distendente, ortus. In Bello Armato purus sanguis è venis mesaraicis exciderat, eò loci, ubi aquosus humor in asciticis colligi solet, Remb. Dodon. *prax. med. p.* 581. Malum ubi vires acquirit eundo, respiratus accedit sufflamen, scrotum artusq; subditi impendiò intumescunt. Jmmò in extremo præputio semel in quodam hydropico grandem notavi vesicam, limpidâ plenam, quæ glandem oculatam ita occæcabat, ut lotium mictu difficulter profundi potuerit. Prodigo gutture pocula expetunt ægri, hinc eleganter Horat. *lib. II. od. 2.*

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore languor.

§. VII. Haut rarentur ὑδατίδες jecur occupantes, quæ laceræ ac disruptæ ichorem in abdomen evomunt. Frequentissima autem hydropis causa est obstructio vasorum ad lienem & hepar tendentium. Nam ubi materia serosa in portarum surculis per mesenterium & omentum sparsis copiosiùs congeritur, nec ad intestina properat, fluorem paritura, facilè è suis vasis in abdomen excidere, ac flumen hydropicum constituere potest. Tollitur autem faciliùs malum in servis, quàm in liberis, quia cum desideret famem, sitim, mille alia tædia, longamq; patientiam, promptiùs his succurritur, qui facilè coguntur, quàm quibus inutilis libertas est. Cels. *lib. III. c. XXI. p.* 340.

§. IIX

§. IIX. Tympanites, qui Hipp. *IV. aph. XI.* ὕδρωψ ξυρὸς, maximam partem exoritur à flatibus, in abdominis ergastulo, & intestinis quandoq; hospitantibus. ἐγγαστρίμυθοι sunt & borborigmis infestantur discrutiati malo. Periculosior est ascite, utpote qui promptiùs obedit remediis, quàm tympanites, Aët. *tetrabib. III. serm. II. c. XX. p* 579. Cathartica in hoc affectu dissuadet Ægineta *lib. III. c. XLVIII. p.* 164. commendans discutientia flatus, & cucurbitas leves, abdomini imponendas. Huic subscribit Dodon. *l. c. p.* 590. & insuper enemata nil quicquam proficere adstruit. Verùm quia tympanites à flatuum & humoris miscellâ originem ducit, imò ipsa intestinorum tela, quæ à fimbriato pyloro longâ serie detexitur, quandoq; distenditur materiæ copiâ, inutilis esse haut potest enematum & purgantium usus.

§. IX. Sarcites, aliàs anasarca vel hyposarca, tuber est totius, à frigido & pituiteo humore, per universum corpus diffuso, ortum. Quippe in leucophlegmatiâ facies, crura, pedes, brachia, turgidula sunt, universumq; corpus cum pallore intumescit, impressorum digitorum vestigia diutinè retinet, ac emortuum quasi apparet. Lotium albidum ac tenue effundit æger, insimulq; difficulter respirat, & quandoq; lentè febrire occipit. Hepar in hoc affectu alsius quodammodo est, ideoq; etiam crudiorem conficit succum, qui in totum ablegatus προσφύσει καὶ ὁμοιώσει partibus nutriendis assimilari haut potest, unde spurius nutricatus & congestus vitiosus. In mulierculis menses superstagnantes idem malum parturire sæpicule notantur.

§. X

§. X. Inflammatio jecoris tumor eſt à ſanguine extravaſato genitus, fidos habens ſocios, febrim, dolorem gravativum, tuſſim aridam, ac difficilem reſpiratum. Ejusmodi hepatis incendium ſemel induxit cucurbitarum appoſitus, in dextro hypochondrio, ad arcendam narium hæmorrhagiam inſtitutus. Decubitus, qui ægrum in terga ſupinat, commodior eſt laterali. Alvum dejecturus σπυραθώδεα, fimo caprino aſsimilia, exturbat æger, niſi infirmo admodùm ſit hepate, tum namq; & mollia exonerat. Gibbo hepatis exæſtuante, tumor manifeſtiùs conſpicitur, preſſu ac ſpiratione dolor exacerbatur, partesq; juguli dextri deorſum quaſi trahuntur. Concavo inflammato appetitus proſternitur, ſitis graviùs affligit, vomitus ac nauſea urget, nec obtutui noſtro notabilis ulla ingeritur protuberatio. Singultus etiam ob nervorum communionem inflammatum hepar comitari aſſolet, quo de Hipp. *VII. aph. XVII.* ἐπὶ φλεγμονῇ τοῦ ἥπατος λύγξ κακόν. In abſceſsũ ubi mutatur inflammatio, res periculo plena eſt. Hercul. Saxon. Nautæ cuidam in dextro hypochondrio abſceſſum hepatis aperuit, qui primo die puris albi octo libras, ſequentibus verò diebus ultra decem reddidit. Vide *lib. III. pract. med. c. XXIX. p.* 288. Aliquando etiam per alvum egerunt pus, quemadmodum Nautæ contigit: rariùs per venas ad ſubjectos pedes excurrit materia, ibidemq; dolorem excitat.

§. XI. Hepatis ἐμφύσημα generat flatus craſsior, parenchyma hepatis diſtendens, & involucrum viſceris agitans. Notant malum tumor hepatis ſine gravitate, ac dolor per intervalla feroculus. Murmur in affectâ parte advertitur nullum. Sæpe interſtitiis mu-

ſculorum abdominis halitus intergeruntur, peritonæum & affines muſculos divellentes, atq; dolorem excitantes, qui dolor perperam hepati aut lieni asſignatur.

§. XII. Scirrhus hepatis tumor eſt indolens ac durus, craſsi & viſcidi humoris ſoboles. Humor autem vel congeſtu vel affluxu ſuo excitat ſcirrhum, partibus uvidis ac tenuibus in auram miſsis. Inveterata durities in hypropem abire conſveſcit, ac feralia promittit. Malum juvenile foris ovis fimo, diu in aceto macerato, ſtercorat Dominicus Leonus, ac lætamen illud valde prodeſse adſtruit, *lib. II. art. med. ſect. III. c. V. p. 506.* Eſt & alius hepatis tumor ἄνευ σκίῤῥου, quem aliqui den Riebenkuchen appellitant. Oritur quandoq; à ſiniſtro alterantium uſu, quo humores & incraſſantur, & penitiùs hepati impinguntur, maximè in febrientibus, corpore haut evacuato.

§. XIII. Interdum quoq; ulceribus infeſtatur hepar. Aretæus abſceſſum hepatis expurgari vidit per ventriculum. Cavâ namq; parte exulceratâ ventriculum eroſerat hepar, & in cavitatem ipſius exſpuerat fœdam puris materiam. In gibbâ viſceris parte vomica feliciter ſæpe evacuatur pyrotico appreſſo, docente Hipp. *VII. aph. XLV.* Alia inſuper mala hepar nonnunquam cruciandum adoriuntur, de quibus conſulantur Practici. καὶ πάντα μὲν δὴ πάντα.

Deo Conditori Gloria.

Au-

Auctaria miscella.

I.

NUm in λορδώσει vel repanditate Chirurgo licitum sit musculos μεσοπλεύρους cultello ferire, ac immisso instrumento luxatam repellere vertebram?

II.

Cur improba Venus dysenteriæ remedium? Hipp. lib. VII. de morb. vulgar. text. 134. p. 1240. idipsum annotavit: πορνείη ἄχρωμος δυσεντερίης ἄκος. Et Amatus Lusitan. centur. II. curat. XLVII. p. 333. narrat, Mulonem veterinarium à dysenteriâ fuisse liberatum furtivâ Venere.

III.

Cur βραχύβιοι καὶ ἀσθενεῖς, qui partem umbilico subjectam majorem, quàm superiorem habent, pertinentem ad pectus? Arist. sect. IX. problem. q. LXIII. p. 900.

IV.

Cur horologia automata, ponderibus librata, initiò longiores, postea breviores; contra horologia, quæ moventur per laminam convolutam, primò breviores, postea longiores exhibeant horas?

V. Cur

V.

Cur tubulus tabaci percussus in unâ extremitate, in alterâ capitellum amittat?

VI.

Cur fundus lebetis vel aheni, ad ignem positi, & aquâ repleti, frigeat etiam in intensissimâ flammâ?

VII.

Cur veneno sublatorum, vel morbo Cardiaco extinctorum, corda difficulter cremententur? Ex hoc fundamento Vitellius probabat, Germanicum Cæsarem à Pisone fuisse potionatum, quia Germanici cor comburi non potuit: Contra Piso salvabatur, quod Germanicus morbo cardiaco decesserit.

IIX.

An halitus, qui ex inciso dissectoq; cane exspirat, eviscerantes inficiat, ac spleneticos reddat?

